



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 25. Julianus Cæsar.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

nomiæ quoque, Geometriæ, & Arithme-
tica, quantum opus erat, studuerat, ut
haberet, quod illis, qui in his Magistros
se jactabant, responderet, cœtera, tan-
quam inutilia rejiciebat. Cum sapissi-
me ægrotaret, inductus est, ut etiam Me-
dicinæ operam daret. Ita S. Basilius
scientiis profanis vacabat, ut sacras litte-
ras, quas a teneris didicerat, non negli-
geret. Magistri ejus in eloquentia fue-
re Himerius, & Propheresius, utpote in
Cappadocia nati, populares ejus, & Chri-
stiani.

Sæculum IV.
A. C. 355.

Socr. l. IV.
c. 26. Soz.
l. VI. c. 17.

§. XXV.

Julianus Cæsar.

Cum Julianus Princeps Athenas venit,
Basilius, & Gregorium noscendi oc-
casionem nactus est, in quorum societate
non solum litteris humanis, sed etiam
SS. Scripturis vacavit, quamvis jam tum
Christo nuntium mittere apud se statuis-
set, quod autem cordis secretum nemini
aperire audebat. Ipsi depravatam ho-
minis ingenium ex ejus Physiognomia,
& omni exteriori habitu facile deprehen-
derunt. Erat ei modica statura, collum
grossum, humeri lati, quos sicut & caput
creberrima jactatione commovebat; pe-
des infirmi, & gressus vacillans. Oculi
vivaces quidem, sed vagi, & errantes.
Aspectus furorem, nasus fastidium, & su-
perbiam

Anm. Marc.
l. XXV. c. 5.
Greg. Naz.
or. 4. p. 122.

Sæculum IV.
A. C. 355.

perbiam spirabant, os late diductum, labium inferius dependens, barba rigens, & in acumen desinens. Distorta vultus compositione risum sæpe movebat, capite sine causa mutabat, risus immodicus, & excussus. Elocutionem sæpe interrompebat, ut respiraret. Quæstiones movebat absurdas, responsiones dabat alteram altera impeditas, in quibus nec fundamentum solidum, nec methodus apparebat. Hunc aspiciens Gregorius dicere solebat; quod monstrum in hoc homine Romanum Imperium alit! faxit Deus, ut falsus Propheta sim.

Amm. l. 15.

*c. 8. Zosim.
l. 3. init.*

Julianus, Athenis degens, mandato Imperatoris in Italiam revocatur; periculum Gallicarum Provinciarum, quas Barbari invadebant, Constantium movit, ut eum, Cæsarem creatum, illuc mitteret, dum ipse in Italia permaneret, ne a cæteris Imperii partibus nimium removeretur.

*Julian. ep.
ad Athan.*

p. 504. 505.

Julianus ægre ferebat ab Athenis se avelli, sive quod tantus scientiarum esset amor, sive inimicorum suorum insidias timeret, quem nempe fratris vestigia terrebant; oculos lacrymis madentes ad templum Minervæ vertebat, cujus tutelam implorabat, nec frustra, nam Deam sibi favorem suum pollicitam credidit, atque e Sole, & Luna Angelos in corporis custodiam submisisse; ita hac de re ipse loquitur. Mediola-

*Liban. pan.
in Jul. p. 235*

num

num delecto, rescinditur barba, & pal-
 lium philosophicum detrahitur, a Con-
 stantio coram militibus Cæsar declaratur
 octavo Idus Novembris Arbitione, &
 Lolliano Consulibus, id est, sexta Nov.
 anno 355. paucis abhinc diebus Constan-
 tius ei sororem suam Helenam in matri-
 monium dedit, jussitque, ut maturaret
 in Galliam iter; Cæterum occultos fa-
 ctorum ejus exploratores addidit, &
 omnia sic disposuit, ne sibi timenda eva-
 dere possit ejus potentia.

§. XXVI.

Persecutio in S. Athanasium.

Ab eo tempore, ex quo Montanus epi-
 stolam attulerat, viginti sex mensibus
 nullum Imperatoris Constantii manda-
 tum ad S. Athanasium pervenit, sed statim
 post Concilium Mediolanense Imperator
 Ægypti Præfecto scripserat; frumentum,
 quod Constantinus Parens ejus Ecclesiis
 concesserat, Athanasio auferret, & Aria-
 nis daret; & omnes, quicumque cum
 Athanasio communicantes insectari vo-
 luissent, impune facerent. Elapsis vi-
 ginti sex mensibus Diogenes, & Hila-
 rius, Imperatoris Notarii, nempe viri
 a Secretis Cæsareis, & munere suo spe-
 ctabiles advenerunt, Duci Ægypti, & mi-
 litibus ejus minaces litteras afferentes,

Rr 5 ut

Sæculum IV.
A. C 355.Julianus Cæ-
sar.Sup. §. II.
ad Solit. p.
829.

ibid. p. 843.